



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1000. Usque Ad Annum 1063

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1761

VD18 90117956

§. 27. Joannis XVIII. obitus. Sergius IV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66323](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66323)

prædicavit, nullo sequente fructu. Tum Sæculum XI.
A.C. 1009.
Rufforum fines ingressus Evangelium popu-
lis annunciare cœpit, regionis illius
præcipuis viris frustra obnitentibus, qui
tandem, cum ad silendum compelli non
posset, comprehensum cum octodecim
sociis capite truncarunt, decima quarta
Februarii anno millesimo nono. Corpo-
ra Sanctorum Martyrum relicta sunt in-
sepulta, donec ea Boleslaus multo auro
redemit, domui suæ præsidio futura. Ec-
clesia hunc S. Martyrem sub nomine S. *Mart. Rom.*
Brunonis decima quinta Octobris colit. *15. Oct.*

§. XXVII.

*Joannis XVIII. obitus. Sergius IV.
Papa.*

Eodem anno 1009. decima octava Julii Papebr. co-
nat. Epist.
Pet. Antio.
to. 2. Monu.
Cotel. p. 148.
obiit Joannes XVIII. Papa, postquam
Sacram Sedem annis quinque & quatuor
mensibus obtinisset. Ipso sedente Ec-
clesia Constantinopolitana Ecclesiæ Ro-
manæ unita erat, hujusque Papæ nomen
cum nominibus ceterorum Patriarcha-
rum in Missa recitabatur. Joanne de-
functo cum Sacra Sedes vacasset tribus Epit. ap.
Baro. 1012.
Ditm. lib. 6.
p. 84. Ma-
bill. Sæc. 6.
84.
circiter mensibus, electus est Petrus,
Episcopus Albanensis, patria Romanus,
& Sergius IV. dici voluit, in Dominica
die secunda Octobris anno 1009. coro-
natus. Is Romanorum natione primus
invenitur nomen mutasse, sive id fece-

Sæculum XI
A.C. 1009.

rit ob Principis Apostolorum reverentiam, sive ob cognominis fœditatem, nam teste Ditmaro Bucca porci cognominabatur. Is Albanensem Sedem tenuit annis quinque, & in Cathedra Petri sedit annis duobus & novem mensibus.

Anno 1009. ex hac vita excessit S. Arduinus Presbyter Ariminensis, qui, defuncto parente suo, Venerio Presbytero, Ecclesiæ S. Gregorii Rectori adhæsit, viro piissimo, quocum lectioni vacabat, & in omni virtutum genere exercitabatur. Atque ut solitudinis libertate fruerentur, ad Ecclesiam S. Apollinaris extra civitatem se receperunt, ubi orationi perpetuæ laborem manuum jungebant. Ad Arduinum postea Ordine Presbyteratus insignitum complures confluerunt, tum ut doctrinam salutarem ex ipsius ore haurirent, tum ut in rebus arduis ejus consilio uterentur. Ipse peccatores, & ipsum Comitem Ariminensem Rudolphum arguebat. Plurimi dona largiter afferebant, quæ Arduinus omnia in egenos effundebat. Cum deinde Joannes Episcopus Venerio Abbatiam S. Gaudentii contulisset, amicum illo secutus Arduinus, ibidem sancto sine quievit, decima quinta Augusti anno 1009. Ejus Sepulchrum plurimis claruit miraculis.

Pet. Dam.
Opusc. VI.
c. 26.

§. XXVIII.